ORATIO HABITA A REUER.MO D. GEORGIO DRASCOUITIO EPISCOPO...

György Draskovich

ORATIO HABITA A' REVER.^MO D. GEORGIO DRASCOVITIO EPISCOPO QVINQVEECCLESIENSI,

AVGVSTISSIMI D. FERDINANDI ROMANORVM IMPERATORIS ELECTI PRO REGNO HVNGARIAE ORATORE, TRIDENTI in generali congregatione, die XXIIII. Februarii. M. D. LXII.



Venetiis, ex Officina Iordani Zileti.
M. D. LXII.

ORATIO
HABITA A' REVER.^MO D. GEORGIO DRASCOVITIO, EPISCOPO QVINQVEECCLESIENSI

D. FERDINANDI ROMANORVM IMPERatoris electi &c. pro Regno Hungariæ Oratore Tridenti, in Oecumenica Synodo, die XXIIII Februarii.

M. D. LXII.

SI VOBIS, Illuſtriſſimi Legati, præclaræ domus, quæ eſt Eccleſia Dei, optimi, firmiſſimiq; cardines, huic ſacroſanctæ generali Synodo diuinitus dati, ac donati Præſidentes, uoſq; Patres ac Paſtores amplissimi, atque uigilantiſſimi; Si uobis inquam Ferdinandi Cæſaris Auguſtiſſimi fides, pietas, uita propemodum Angelica, ac in retinenda defendendaque Chriſtiana catholica religione perpetuæ uigiliæ, labores plurimi, indefeſſumq; omni tempore ſtudium, iam antea perſpectiſſima non eſſent, crederem equidem me, ſi hæc ſciens tacerem, non modo accuſandum meritò, verùm etiam tanquam omnes impietatis limites dolosè transgreſſum, iure optimo damnandum eſſe. Verùm quia optimi, catholiciq; Cæſaris raræ & inauditæ uirtutes uobis notiores ſunt quàm ut à me in medium proferri debeant, hæc tanta tamq; præclara & planè cœleſtia dona, in hoc nobiliſſimo omnium Chriſtianorum Principum capite, ſtellarum inſtar micantia, maxima admiratione ueneranda rectius, quàm oratione ſplendidiſſima etiam, celebranda eſſe, meritò exiſtimauerim. Ac niſi hunc talem tantumque Imperatorem Deus pro ſua beni-

benignitate nobis dediſſet, infœlix profectò infinitis propè malis afflicta hæc noſtra tempeſtas, & eſſet & haberetur. Gratias itaque DEO ÆTERNO ſupplex agere debebit, quòd illi præter ullum meritum hic alter Conſtantinus Catholicus obtigerit. Nam per Deum immortalem, non'ne uerè Conſtantinum, aut eo etiam maiorem dixeris, qui ante aliquot ſæcula hæreſis uel ſchiſmatis iniuria collapſas Eccleſias, immo uerò penitus deletas, hiſce calamitoſiſſimis temporibus, noua liberaliq; fundatione reſtaurat: Collegia & Cœnobia euerſa ſoloque æquata reparat, & noua etiam, magna impenſa exædificat: Clerum denique ipſum unà cum Orthodoxa Religione in plerisque locis ferè extinctum, non ſine maximis curis & incredibilibus ſumptibus priſtino ſplendori reſtituere omnibus uiribus annititur. Sed ne carioſe magis explicare, quàm ſtrictim quædam attingere uoluiſſe uidear, illud hoc loco dicam, & uerè quidem laudatiſſimi huius Imperatoris cura atque opera perfectum eſſe, ut multorum ſcelere deformata religionis noſtræ facies, ſuum decus, ſuum nitorem, recuperare poſſe uideatur. Iam uerò quantum illud eſt, quòd ut Chriſtianos è Turcarum faucibus eripere, eosq; à ſæuiſſima illorum Tyrannide in libertatem aſſerere poſſit, nihil eorum, quæ ad hanc rem rectè ac laudabiliter gerendam adhiberi debent, omittit, ſed continuis bellis, magno ſtudio, incredibili cura, ita ſe impio illorum conatui opponit, ut quòd Germani, quòd Itali, quòd Galli, quòd Poloni, quòd aliæ propè omnes gentes ſecurius uiuant, id ipſi uni ſecundum Deum, acceptum referre debeant. Quis enim eſt in orbe Chriſtiano locus, quem non Turcarum rabies iam olim peruagata eſſet, niſi hic talis, tamq; pius Imperator, ſe, ſuosq; chariſſimos liberos huic peſti obieciſſet, eiusq; impetum ſolus ex omnibus Chriſtianis Principibus ſuſtinuiſſet. Sed hæc

eiusmodi sunt, ut nullis uerbis, nulla oratione satis explicari possint. Atque hunc quidem Imperatorem, omnium uirtutum heroicarum cumulatissimum thesaurum, si uobis Patres laudatissimi hic coràm intueri liceret, uerbis exprimi non potest, quanto gaudio perfunderemini; vicissimq; ne cogitatione quidem complecti possum quali, quamq; inexplebili lætitia, sua Cæsarea Maiestas afficeretur, Si in hoc Augustissimo loco, cum in quo olim Paracletus ille Spiritus sanctus sub ignitarum linguarum forma uisibilis apparuerat, uerè repræsentante tot doctissimorum ac religiosissimorum, immo uerè Apostolicorum locumtenentium Patrum ueneradas facies præsens inspiceret: Sibi certè temperare non posset, quin in omnium uestrum sancta oscula rueret: Immo quo est in rem Christianam studio, ipsamet Maiestas sua huc libenter uenisset, si propter plurimas, easdemque grauissimas sacri Romani Imperii, Regnorumq; & dominiorum suorum occupationes in præsentiarum suæ Maiestati id facere licuisset. Ne tamen interim quicquam quod in hac parte muneri Cæsareo incumbit, omitteretur, uoluit sua Maiestas Oratores & Commissarios suos, ad hoc sacrosanctum Oecumenicum Concilium tempestiuè & ante omnes alios Christianos Principes mittere, qui & personam suam referrent, & cum plena auctoritate & mandato, nomineq; & loco Maiestatis suæ celebrationi huius Sacræ Oecumenicæ Synodi interessent. Quemadmodum hæc & alia multa præclara, quæ in mandatis habebant Reuerendissimus D. Antonius Muglitius Archiepiscopus Pragensis & Magnificus Dominus Sigismundus à Thunn. Maiestatis suæ Cæsareæ Oratores hic præsentes uobis Illustrissimi D. Legati priuatim luculenta oratione copiosè exposuerunt. Ex his itaq; quæ iam dicta sunt Antistites sanctissimi manifestè apparet, quo studio, quamq; propensa uoluntate sit e-

ius

ius Maieſtas, in hanc ſacram Synodum; Præſertim uerò cum non ſolùm ab eo, qui modo uniuerſam illuſtrat Eccleſiam Pont. Max. uerè Pio IIII. verùm etiam ab aliquot ſuæ ſanctitatis prædeceſſoribus Pont. Max. piæ memoriæ magna contentione ſemper petiuerit, ut iam tandem maiorum ſuorum exempla ſecuti, conuocato ueteri de more generali Concilio, extirpatisq; hæreſibus, ac ueteri Eccleſiaſtica diſciplina reſtituta, Chriſti fidelium ſaluti proſpicerent. Quamuis ſanctiſſimus quoq; D. N. Pientiſſimus Paſtor, ſtatim in ipſo Pontificatus ſui fœlici initio, ante alias omnes grauiſſimas urgentiſſimasq; curas, hanc, data opportunitate in primis de congregando uniuerſali Concilio, ſpinisq; ex agro Dominico reſecandis, pro ſibi innata pietate, & ſapientia, ultro ſuſceperat. Id quod iam ſanctitatem ſuam laudatiſſimè omniumq; Chriſti fidelium mirifico applauſu re ipſa præſtare cernimus. Pater cœleſtis ſerua hæc orbis lumina, quæ ad conſeruandam tuendamq; Rempublicam Chriſtianam, immo uerò precioſo filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguine acquiſitam Eccleſiam, uirtutibus pietatisq; ſtudiis cumulata, ita coniuncta eſſe uoluiſti, ut alterum in altero cernere liceat. Quod ſanctitatis ſuæ præclarum, ſummoq; Pontifice ac Paſtore dignum, uniuerſoq; orbi Chriſtiano ſalutare ſtudium, cum non ſine magna animi uoluptate Chriſtianiſſimus Imperator uideret, ſua quoque Maieſtas Cæſarea tanquàm primogenitus Eccleſiæ Catholicæ, ſediq; Apoſtolicæ addictiſſimus filius, hoc ſacroſanctum Oecumenicum Concilium, quod in Spiritu ſancto legitimè congregatum agnoſcit, pro Cæſareo ſuo munere, quotiescunque res poſtulauerit, ab omnibus iniuriis tueri, manutenere atque defendere, ſeſe promptam ac paratam benignè offert. Quo autem hanc ſuam uoluntatem eius Maieſtas uobis magis teſtatam faceret, non ſolùm ut Imperator Romanorum

ac

ac Boemiæ Rex & Archidux Auſtriæ, hos graues & præ ſtantes, munerið; huic obeundo maximè idoneos uiros, quos coràm cernitis, Oratores ſuos huc mittere dignata eſt, ſed etiam quatenus eſt Rex inclytæ Hungariæ (antiquiſſimi illius & nobiliſſimi Chriſtiani orbis propugnaculi) me licet immeritum huic ſanctiſſimæ Synodo, nomine ſuo Regio, cum plena auctoritate & mandato intereſſe uoluit. Et quamuis literas eiuſmodi plenæ auctoritatis mandatiq; nobis nuper exhibere certas ob cauſas non poteram, locum tamen Regi Pannoniæ debitum amplitudines ueſtræ Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ non expectatis literis, quas iam ad manus habeo, mihi dandum & aſſignandum benigniſſimè adiudicarunt. Immo absq; aliqua mora humaniſſimè aſſignarunt & dederunt. Quod ampl. veſtrarum egregium, & memorabile factum, cùm ueſtræ erga Catholicum Imperatorē Regemq; meum Sereniſſimum obſeruantiæ & amoris, ſit illuſtre teſtimonium, Maieſtati ſuæ gratiſſimum, omnibusq; amoris & beneuolentiæ officiis penſandum accidit. Ego uerò pro hac ampl. ueſtrarum erga me inſigni beneuolentia, cùm omnia quæ ad cumulum officii mei ſpectare cognouero, diligentiſſimè impleuero, Deum etiam æternum uotis omnibus ſupplex exorabo, ut uos omnes & ſingulos hic fœlices conſeruet, & poſt hanc uitam, donet eam, quæ neſcit temporis modum. Poſtremo ut & officio meo & Illuſtriſſimarum ac Reuerendiſſimarum ampl. veſtrarum expectationi ſatisfaciam, fidemq, Reuerendiſſimi D. Archiepiſcopi Pragenſis Oratoris Cæſarei nuper pro me interpoſitam, redimam, literas plenæ auctoritatis & mandati Regis mei, reuerenter exhibeo, Orans, ut & illas in hoc ornatiſſimo conſeſſu pro recepta iam conſuetudine publicè perlegi facere, & me cœpta hac ſua ſingulari benignitate atque humanitate complecti dignentur.

RESPON-

RESPONSUM SANCTAE SYNODI.

ILLVSTRIS & Reuerendissime domine Orator. Dupliciter sancta Synodus Reuerendissimæ D. Vestræ áduentu exhilarata est; Et quòd Cæsarea Maiestas D. Vestram pro inclyto suo Regno Hungariæ hisce negotijs, quæ uniuersæ Christianæ Reipublicæ causa suscepta sunt, interesse uoluerit; et quod talem uirum miserit, cuius in primis prudentia ac consilio adiuta, tot tantisq; malis, quibus passim Ecclesiæ membra conflictantur, opportuna & maximè accommodata remedia adhibere se posse magnopere confidit. Cum autem probè intelligat, quantus ex utroque ornamenti ac dignitatis ad suam auctoritatem, cumulus accesserit, in primis Deo Opt. Max. gratias agit, quòd talem Christiano orbi Imperatorem, sibiq; aduocatum largitus sit, qui malis improborum hominum artibus labefactatam ac propè iam labentem Ecclesiam corruere non sinat, Sed incredibili uirtute & sapientia fulciat ac sustineat. Deinde uerò tantùm se eius Maiestati debere profitetur, ut neque obseruantiæ neque studij, quo eam prosequitur, magnitudo, ulla satis oratione explicari posse uideatur. Ac quoniam pro summo in Ecclesiam studio, præclarisq; erga se meritis parem referre gratiam se non posse intelligit, saltem id, quod potest, hoc tempore faciet. Deú Maximum supplex orabit, ut in quo Constantini illius magni pietas ac Religio, multis alijs uirtutibus aucta cumulataque ita elucet, ut uniuersum terrarum orbem, clarissima sua luce collustret; eidem illam quoq; Constantini fœlicitatem largiatur, ut & immanes Barbaros Christiani populi ceruicibus imminentes, longè repellere ac propulsare possit; & Ecclesiam in eum statum adducat, ut magna calamitate propemodum oppressa, iam tandem aliquantum respirare ac ueluti reuiuiscere queat. Quod autem sacra eius Maiestas fauorem atque etiam securitatem ipsi sanctæ Synodo pollicetur, etsi de eo nunquàm antea dubitauit, tamen gratissimo animo, summaq; spe recipit, ac quas potest maximas eius Maiestati gratias agit. Cæterùm, quod priuatim ad D. V. Reuerendissimæ personam attinet; tum propterea quòd eam præstanti uirtute prudentia ac pietate præditam esse sancta Synodus non ignorat, tum eò etiam, quod magnis itineribus summa cum celeritate primus omnium Oratorum in ipso Concilij inchoati die huc appulerit, lætis animis recipit atque amplectitur. Postremò, mandata eius Maiestatis Cæsareæ & Regiæ, quæ reddidistis, quantum de iure debet admittit.